

§. XVII. Ad primum igitur, quod vulgo objiciunt, cum satis responsum esse arbitror, restat, ut illis etiam satisfaciam, quæ in Prophetis ac N. T. dicta usuræ adversantia occurrunt. Ita autem David *Psalmo XV*, v. 1. quærit: *quis commorabitur in tentorio tuo, Jehovab?* & v. 5. respondet: *argentum suum non dans in usuram.* Ita Ezechiel virum justum vocat, qui in fœnus non det, & usuram non accipiat c. *XIIX*. v. 8. & v. 17. *multum felicitatis cum prolongatione vite usuram recusantibus pollicetur, cum contra exigentibus eandem infortunium atque ipsam vite jacturam comminetur.* Ita Nebemias quoque C. V. vehementer infœneratores invehit, eosque, quantum potest, ad abrogandas usuras excitat. At vero nulla dictis in locis præceptorum à Mose datorum contradictio forsitan statuenda est, sed interdicta hic ista solum usura est, quam mordacem supra appellavimus, quamque impii tunc temporis fœneratores à pauperibus atque egenis extorquebant, sive ii ex pecunia mutuo accepta lucri quid fecissent, sive minus. Quod ut clarius pateat, sequentia notamus. Supponentes primum, hæc Prophetarum verba non universalia esse ac de quavis usura intelligenda. Nisi id velis admittere, quod Mose contradicant, qui usuras ab alienigenis solvendas permisit. Qua de causa § XII. conferri poterit. Deinde persuadere nobis non possumus, Prophetas usuram jure Naturali licitam atque ab æquitate permissam prohibuisse, atque eos increpasse, qui pecuniam mercatoribus magnum ex ea lucrum sibi acquirentibus, mutuo dederunt; maxime si pupillorum fuisset. Quare superest, ut hæc verba de mordace usura, quam Judæi avaritia capti à pauperibus extorserunt, intelligamus. Hi enim fere soli erant, quibus pecunia mutuatitia opus erat. Et sic mens Prophetarum eadem quæ Mosis fuisse advertitur. Nam & Mosis tempore non nisi mordaces usuræ obviæ esse poterant ex causis §. XVI. adductis. Eleganter eandem sententiam sæpius allegatus Salmasius expressit; quod Ezechiel, inquit, & David inter fratrem & peregrinum non distinguit, sed simpliciter fœnus exercenti malum à Deo minatur, de eo fœnore intelligi tantum debere palam est, quod Deus per Mosen prohibuerat, non de eo quod permiserat. *Vid. de usuris c. XX. p. 616.* Dictum autem illud Christi, quod *Luc. VI, 35.* ita habet: *πλὴν ἀγαπᾶτε τῆς ἐχθρῆς ὑμῶν καὶ ἀγαθοποιεῖτε, καὶ δανείζετε, μηδὲν ἀπελπίζοντες,* cum ad præcepta exercendæ charitatis ac liberalitatis spectet, perperam ad prohibitionem